DEO OPTIMO MAXIMO UNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LUCÆ ORTHODOXORUM MEDICORUM PATRONO.

1641

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA IN SCHOLIS MEDICORUM, DIE JOVIS XVIII. DECEMBRIS MDCCXXI.

M. JACOBO TRANT, DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

An paſſio vulgò hyſterica dicta ab utero?

CUM multi ſunt morbi, quibus conflictantur miſeræ mulieres, tùm nullum omninò reperias fæmineo ſexui aut familiarem magis, aut ſæpius importunum quàm ægritudinis genus illud, cui paſſionis hyſtericæ nomen recentium Medicorum authoritas veterum exemplo impoſuit. Et malum quidem hoc ὑστερικὸν πάθος, ſive ὑστερικὴ πνὶξ Græcis audiebat, quòd exiſtimarent morbum, ſi quis eſt, pertinaciſſimum ab utero malè ſcilicet affecto ſic pullulare, ut aliundè nec gigni poſſet nec deberet. Uterum enimverò, ſurſùm ferri, deorſùm moveri, ἀλᾶν καὶ πάσχειν, appetere, fugere, amare, odiſſe non autumabant modò, ſed aſſeverabant, ſic quaſi neceſſum eſſet cudendi hominis officinam iiſdem fermè, ac animadvertimus hominem ipſum, virtutibus inſigniri. Verùm uteri in hypogaſtrio ſitus, vincula, quorum beneficio tam infernè, quàm ſupernè variis corporis partibus alligatur; ipſius indoles partis atque natura, quæ cultri anatomici ope vel leviter intellecta, rationis uſum præſtantiſſimo alioquin viſceri non competere ſatis ſuperque declarat; hæc inquam omnia certò certiùs arguunt, uterum ut ut à præpotente Deo nobiliſſimo muneri deſtinatum, tamen eſſe, non ſecus ac plurimas corporis partes, quodam modo viſcus & ἀκίνητον & ἀπαθὲς. Quod enim iiſdem planè rebus conſtare deprehenditur, ac muſculorum membranarumque compages, cum muſculis membraniſque officii ratione conſentit.

SYMPTOMATA græcè ſonant idem, ac latinè accidentia; ſeu quæ fortuito caſu contingunt. Nos mechanicâ neceſſitate niti ponimus ægritudinum ſymptomata, quæ quemadmodum à morbo ſunt, ita morbi cauſam, indolemque demonſtrant. Ne crediderìs tamen ſymptomatum in eo poſitam eſſe rationem, ut nulla ſint, quæ natales ſuos non deſignent & originem. Eſt verè medentis circumſpicere, ſymptomatumque plerumque congeriem in eum coacervare finem, ut morbi tum cauſa, tum ſpecies ex his ſignis eruantur. Symptomatum ergo varia eſt multùmque diverſa ratio. Eſt enim, quod morbum mentitur non ſuum; eſt, quod morbum etiam ſuum diſſimulat; eſt, quod propriè dicti ſymptomatis larvam induit; eſt denique quod morbum, unde fluit, nunc innuit malignè, nunc luculenter & ſatis apertè docet. Hujuſmodi ſymptoma ſignum vocant pathognomonicum; quod cùm rariùs occurrat, ſapienter eſt ex obſervationum fontibus ea derivata lex, ut non niſi ex ſymptomatum plerumque ſyndrome ſit tractandorum morborum methodus inſtituenda. Præcipimus igitur, ut ne morborum indolem cauſamve inde quis putet interpretandam; unde morborum cognitio incerto vel unius, vel pauciorum ſymptomatum argumento deduci poſſe comperitur. Symptomata, quibus obſervatur ſtipari paſſio vulgò hyſterica dicta, uteri morbum arguere non videntur.

QUÆ ſymptomata deſignant paſſionem vulgò hyſtericam dictam; ſunt præſertim dolores colici, Borborygmi, tenſiones hypochondriorum, inteſtinorum, muſculorum abdominis, aliarumque partium convulſivi motus, vomitus enormes; ſenſus doloris perquam importunus ponderis ſuæ gravitatis obliti, quaſi pilæ aſcendentis à pubis oſſe uſque ad laryngem, riſus, non voluntatis, ſed morbi imperio elicitus, profuſæ lachrymæ, diaphragmatis tum convulſiva, tum tonica contractio, unde anhelitus & ſtrangulatio. Hæc ſi quis viderit, obſervaverit, expenderit, intelliget profectò aut totum corpus peccare, aut ſi morbum alicui corporis parti eſſe ſtatuet adſcribendum, eum non ab utero, ſed aliundè proficiſci.

QUOD ſpectat hujus mali remedia, nemo neſcit ea eſſe ejuſmodi, quibus uteri minùs, quàm aliarum rerum vitia, corrigi ſoleant, & ſalubriter emendari. Obvium eſt illud & Medicis haud ignotum, fœminas, quò ſunt habitiori corpore, quò ſunt deſides magis, quò ſunt in venerem negatam proniores, eò paſſionis hyſtericæ telis eſſe magis opportunas. Non inde colliges tamen, aut cumulatam è vitâ deſide pinguedinem, aut negatam viri conſuetudinem, aut copiam alimenti, quàm par eſt, uberiorem, ſi quid peccant, labem ſuam utero potius inurere, quàm aliis corporis partibus, quas non modò rationis argumentum, ſed etiam adhibendorum remediorum fides, mali ſedem eſſe declarant. Remedia, quæ in hoc morbo non modo nuncupantur, ſed & ſunt herculea; ſunt imprimis chalybeata, nervorum tonum; narcotico-volatilia, ſpirituum, ſi qui ſunt, animalium craſim copiamque reſarcientia Hæc autem emendandis uteri vitiis quemadmodum vix conferunt, ſic ad aliarum corporis partium morbos tollendos, evellendoſque facere deprehenduntur. Unde non ſymptomata modò paſſionem vulgò hyſtericam dictam ſtipantia, ſed & remedia ad profligandum malum feliciter excogitata, ſic alias corporis partes ſpectant, ut uteri neque morbum illâ, neque hæc medelam ſignificent.

QUOD Græcis νεῦρον; illud Romanis, nervus eſt. Utrumque vocabulum ad funiculorum ſilvam è cerebro & ſpinali medullâ propagatam pertinet magis, quàm ad muſculorum extrema; quæ quemadmodum nos ſemper tendines, ſic illi nervos nonnunquam appellabant. Invaluit tandem mos, ut nervorum nomen diffuſis è cerebro, cerebello, & ſpinali medullâ funiculis tribueretur ſolis, nec ad aliud quid indicandum dubiâ ſignificatione traheretur. Nervos ex oſſeis, quibus involvuntur, ſpeluncis in totum corpus expatiari, & in ramos ramuſculoſque propemodum infinitos diſpertiri, nemo neſcit. Hinc ſenſûs & motûs petas originem. Nam abſciſſo, ligato, obſtructo nervo, aut ſenſum perimi, aut aboleri motum, aut utrumque perire contingit & prorſus extingui. Jam verò ſi perpenderìs, quot quantique motus in corpore humano præter voluntatis imperium fiant, rectè cæteroquin intellectâ nervorum indole; non dubitabis affirmare hæc eadem ſenſûs & motûs inſtrumenta, quantùm otii malè feriati deſidiâ peccant, tantùm præpoſterâ diligentiâ & immodici laboris furore nocere. Sed quo mechaniſmo motûs aut aucti, aut inſigniter imminuti, aut ſublati penitus & extincti rationem in nervos, tanquam in genuinos fontes duxeris eſſe refundendam? Rem periculoſæ plenam aleæ ne ſcrutere curioſius, ne difficillimarum nugarum ſcopulis allidas navem velo remoque carentem. Nam qui ſpiritus animales in nervorum cavo curſitare dixerunt, rationem ducem videntur ſecuti. Omne tuliſſent punctum, ſi quam ratio ſuaſerat viam, eam experimenta ſæpius quàm feliciùs tentata perſuaſiſſent. Suos etiam patiuntur manes, qui nervos negant eſſe meabiles, & ducto à fidibus exemplo, nervorum motum, ope vibrationum ſcilicet & undulationum enucleare conantur. Verùm quicquid hi, illi, in contrarias partes diſputent, ſufficiat innoteſcere nobis; à nervis motum omnem ſenſumque proficiſci. Ergo non modò naturales, ſed & qui fiunt præter naturam motus à fibris nerveis cùm pendeant, conſequens eſt convulſiones tum alias, tum hyſtericas à nervis, tanquam à cauſâ proximâ conſtanter oriri. Nam ſive à ſpiritibus animalibus convulſivos inchoari motus atque abſolvi ſuſpicere; ſive à ſolidâ nervorum compage non aperiri modò, ſed etiam claudi ſcenam exiſtimes; σπασμῶν Authores, ſubtiliſſimo liquore vel inſtructos, vel deſtitutos nervos ſemper agnoſcas; oportet. Nam ſpirituum animalium propugnatores aiunt ſpiritus in morbis convulſivis æquo copioſius, aut ſolito facilius fluere in partes morbo conflictatas. Hujus rei forſan ſuſpicantur inde petendam eſſe rationem, quod aut juſto patentior eſt ſpirituum ad partes convulſas via, aut juſto ſtrictius ad partes non convulſas iter, aut quòd in eundem effectum utraque cauſa conſpirat. Qui ſolidam eſſe nervorum compagem ponunt, ab eorum vibrationibus & elatere motus tum naturales tum præter naturam deducendos eſſe defendunt. Sed miſſis opinionum tenebris, ne in fiendi modum lepidè magis quàm utiliter introſpiciamus; ſentiamus quod res eſt; &, ſi quidem nullus ambigit quin ſyſtema nervoſum ſpaſmos ſuo quodam ſibi jure vindicet, pronunciemus paſſionem vulgò hyſtericam dictam, à nervoſo genere ſic pendere, ut ab alio fonte non intelligatur proximè poſſe deduci. Quid quòd uterum ſi culpaveris, quid ſentiendum putabis de morbo virorum, quam Antiqui melancholiam nuncuparunt? Licèt enim ab utero non pendeat, ejuſdem tamen eſt indolis, ac mulierum morbus, paſſio vulgò hyſterica dicta.

Ergo paſſio vulgò hyſterica dicta non ab utero.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Emmanuel-Mauritius du Verney.	*M. Joannes-Franciſcus Leaulté.*	*M. Raymundus-Jacobus Finot.*
M. Ludovicus-Claudius Bourdelin.	*M. Jacobus-Antonius Millet.*	*M. Philippus-Bernardus de Bordegaraye.*
M. Michael-Ludovicus Vernage.	*M. Michael Peaget.*	*M. Ludovicus Lemery, Regiæ Scientiarum Academiæ Socius.*

Proponebat Pariſiis NICOLAUS LE ROY, Rothomagæus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1721, à ſextâ ad meridiem.

Typis J. QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.